

tamen doctores communiter et praxis suadent, ne iudex aliquem etiam notorie delinquentem, sine citatione et sententia condemnet; nec temere notoria asserat; tum quia citatio, quæ principaliter eo tendit, ut reus prius audiatur, et defendere se valeat, videtur esse juris naturalis, per dicta lib. II, tit. III, n. 68; tum quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt, » c. *Consuluit*, 14, de *Appellat.*, consequenter omnino decet, ut in hac re caute procedatur, et mediante citatione reus prius audiatur; ac denique si vere notorium apparet, id, juxta dicta, sententiæ inseratur, sicque causa sine sententia non decidatur.

267. *Delictum in flagranti deprehensum, quid?* — Quæritur IV. Quid sit, et quando dicatur delictum « in flagranti deprehensum? » et quomodo processetur? Resp. Delictum in flagranti deprehensum dicitur tripliciter. *Primo*, quando quis in actuali aliquo delicto, furto v. g., fornicatione, etc., non tantum deprehenditur, sed comprehensus statim ad iudicem a justitiæ ministris, vel aliis ducitur. *Secundo*, quando ipse iudex coram testibus aliquem in flagranti delicto deprehendit, ut si v. g. prius monitus Caium solere tali die, et hora, tale delictum committere, assumptis secum testibus accedit locum, et deprehendit in flagranti reum. *Tertio*, quando quis in præsentia iudicis pro tribunali sedentis, vel jurisdictionem exercentis delinquit.

268. *In flagranti deprehensus punitur, non servato juris ordine. Et quomodo?* — Resp. II. In flagranti deprehensus puniri potest non servato juris ordine. Communis, et certa. Et quidem ad processandum et puniendum non requiritur ullus accusator, vel denunciator. Nec requiritur sententia cum juris solemnitate; imo potest poena infligi per simplex decretum, vel præceptum iudicis. Requiritur tamen, ut in primo et secundo modo prius examinentur testes super delicto, et apprehensione. Et dein examinetur reus, qui si fatetur delictum, statim per decretum, vel sententiam sine solemnitate ferendam puniri potest: Si vero negat, nec afferat aliqua pro sua accusatione, res magis examinanda, et defensiones, ac patroni ei sunt concedendi, Clarus, in *Praxi criminali.*, § fin., q. 8; Passerinus, in *Tribunal. regul.*, q. 10, n. 1; Farinacius, q. 21, num. 152 et seqq.

Porro, quomodo in praxi circa quemvis

trium horum modorum, sicut etiam circa notorium delictum formari debeat processus, dicemus infra quæritur V.

269. *Judex pro tribunali non sedens, haud dicitur aliquem in flagranti deprehendere.* — Resp. III. Quando iudex pro tribunali non sedens, nec jurisdictionem exercens, sed alia occasione oculis propriis videt reum delinquentem, non dicitur exinde in flagranti deprehensus, ad hoc, ut possit non servato juris ordine criminaliter contra ipsum procedere: licet possit sine alia denuntiatione, et accusatione inquirere contra ipsum, et informationem capere servato in cæteris juris ordine, Clarus, § fin., q. 8, n. 5; Farinacius, q. 21, n. 162; Passerinus, q. 10, n. 162.

Quæritur V. Qualiter in praxi formari debeat processus contra notorie, præsertim in præsentia iudicis delinquentem, vel in flagranti deprehensum? Resp. ad hoc quæsitum patere, § V, a num. 547 et a n. 553.

## § VI.

## DE VISITATIONE REGULARIUM, PRÆSERTIM ORDINIS NOSTRI SERAPHICI.

270. *Visitatio regularium est vera inquisitio.* — Postquam egimus tam de generali, quam speciali inquisitione ut sic, abstrahendo an a sæcularibus, vel regularibus fiat; non incongrue hic annectitur paragra-phus de *Visitatione regularium*, utpote quæ vera inquisitio est, et frequenter a prælatis regularibus instituitur: idque vel ordinarie, vel extraordinarie, tam generaliter, quam specialiter, tam judicialiter, quam paterne, quamvis sæpius imo ordinarie paterne et generaliter, juxta dicenda.

271. *Est quidem ordinarie generalis ac paterne. Ad quem finem fiat?* — Quæritur I. Quid sint ordinariæ regularium visitationes? Ad quem finem? A quo, et quoties fieri possint, et debeant? Resp. I. Visitatio ordinaria regularium est inquisitio generalis de vita et moribus regularium ad hoc instituta, ut prælatus tanquam pastor vultum pecoris sui cognoscens, delinquentes contra regularem observantiam et disciplinam, aliasque obligationes corrigere, castigare, et emendare, bene ambulantes vero præmiare, ac quemvis juxta qualitates et merita promovere, media convenientia contra defectus, vel excessus præscribere, sicque observantiam et disciplinam regularem restituere, conser-

## § VI. DE VISITATIONE REGULARIUM, PRÆSERTIM ORDINIS NOSTRI SERAPHICI. 47

vare, et augere valeat. Ita in re communis, arg. c. *Romana*, § *Sane de testib.*, in 6, et *Concil. Trident.*, sess. 25, de *Regul.*, cap. I. Patetque ex terminis. Solum hic nota ex data descriptione, quod licet visitationes ordinariæ regularium principaliter instituantur ad cognoscendos, et tollendos defectus vel excessus regularium tamen etiam illuc tendant, ut ea mediante cognoscantur quoque boni religiosi, et qualitates eorum, quatenus sciat prælatus major, quales religiosos quosque aliis præficere, vel ad officia applicare possit et debeat, ut bene notat Antonius a Spiritu Sancto, p. 3, *Director. regular.*, tract. IV, disp. 3, sect. 1, n. 8, quia plurimum refert in religionibus, ut nonnisi boni, et debite qualificati ad gradus, dignitates, ac officia in ordine promoveantur.

Notandus insuper terminus inquisitio generalis; quia visitationes ordinariæ regulares non sunt speciales, sed revera generales inquisitiones, de quibus supra nu. 151, prout magis patebit ex dicendis infra.

272. *Superiores regulares possunt et debent iure divino et humano visitare suos subditos.* — Resp. II. Superiores regulares majores præsertim, generalis v. g. et provinciales, non tantum de jure humano ecclesiasticæ, statutisque ordinum, sed etiam jure naturali et divino possunt ac debent visitationes per se, vel per alios facere. Communis et certa. Et quidem de jure humano patet ex c. *In singulis*, 7, de *Statu monach.*, item ex *Concil. Trident.*, sess. 25, de *Regular.*, cap. I, cap. VIII, et cap. XX. Accedunt cujusvis Ordinis statuta, et nostra quidem cap. VIII, § 56. Ipsa quoque regula visitationes præcipit, cap. X. Altera pars de jure naturali desumitur ex ipsa natura officii pastoralis, ratione cujus tenentur superiores tanquam veri pastores inquirere et corrigere subditorum excessus, « Ne sanguis eorum de suis manibus requiratur, » arg. c. *Irrefragabili*, 13, de *Offic. ordin.*, ubi propterea etiam declaratur, quod visitatio nulla possit consuetudine impediri.

273. *Per se ipsos, nisi legitime impediuntur.* — Dicitur per se, vel per alios; quia si in persona impediti sunt, etiam per alios visitare possunt potestate visitandi eisdem delegata, arg. can. *Episc.* 11, cau. 10, q. 1 et c. *Inter cætera*, 15, de *Offic. ordin.* Ratio est, quia juxta reg. jur., 68, in 6. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. »

Notat tamen Lezana *ŷ. Visitor*, n. 3; Antonius, a Spiritu Sancto, *Direct. regul.*, loc. cit., n. 5, quod si superiores regulares, quibus visitatio jure ordinario competit, absque legitimo impedimento aliis visitationes committerent, peccarent mortaliter; quia esset transgressio præcepti ecclesiastici graviter obligantis, *Concil. Trident.*, loc. cit. Nec relevat allegata regul. jur., 68 et 72, in 6. « Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum. » Respondetur enim, utramque hanc regulam limitari in iis, in quibus electa est industria personæ, arg. c. fin., § fin., de *Offic. ordin.*, sicut etiam in iis, quæ æque utiliter per alium expediri non possunt, uti sunt visitationes, quæ experientia teste, utique majori cum effectu, et fructu procedere solent, si ab ordinariis, quam si a delegatis superioribus fiant. Hinc in nostra religione expresse prohibetur provincialibus, ne per alios visitent, et nonnisi urgente de causa commissarios ad certa negotia mittant.

274. *Et quidem frequenter, lis nempe, vel semel in anno.* — Resp. III. Superiores præfati tenentur frequenter visitationes instituire. Ita expresse *Concil. Trident.*, sess. 25, de *Regular.*, cap. VIII, ibi: « Teneaturque suæ congregationis monasteria frequenter visitare, et illarum reformationi incumbere. » Et quidem si fieri poterit, bis in anno, arg. c. *Non semel*, 29, cau. 18, q. 2, c. *Cum venerabilis*, 22, de *Causib.*, cum concordant., vel saltem semel, arg. can. *Episcopum*, 11, cau. 10, q. 1. Nisi forsitan statuta particularia aliud habeant, visitationemque sæpius vel rarius præscribant, quæ proin inspicere, et observare oportebit, uti bene notat Pellizz, tom. II, tract. IX, cap. IV, sect. 1, q. 3.

275. *In ordine nostro seraphico quoties fiat?* — Et quidem in nostra religione, cum eam ob sui latitudinem generalis ipse toties, quoties opus est, personaliter visitare nequeat, singulis triennis provincias per delegatum a se commissarium visitatorem generalem visitat juxta statuta generalia, cap. VIII, § 26, de *Commissariis visitoribus*, provinciales vero provincias sibi subditas, « singulis annis bis, aut semel saltem universam provinciam visitare teneantur, » etc., prout expresse disponunt præfata statuta generalia cap. VIII, § 47, n. 2.

276. *Superiores regulares non tantum semel, vel bis in anno, sed toties, quoties eis necessa-*

riam videtur, visitare possunt. — Resp. IV. Superiores regulares, præsertim generales, et provinciales non tantum semel, vel bis in anno, sed etiam toties, quoties eis expediens visum fuerit, provincias sibi subditas per se, vel per alios visitare possunt, et debent, nisi statuta particularia in vigore existentia id inhibeat, Passerinus in *Tribun. regul.*, q. 8, a 8, numer. 35; Ludovicus de Ameno, in *Practic. criminal.*, tit. III, *Canones circa recursum*, q. 4, a n. 90, ubi conclusionem prolixè et solide probat, ac quidem in specie demonstrat, quod nostri superiores generales, non tantum quovis triennio (prout ad minimum fieri debet, et ordinariè fieri solet) sed etiam toties, quoties eis expediens visum fuerit, commissarios visitatores generales ad provincias mittere, easque per illos visitare valeant. Probatur primo ex concil. Trident., sess. 23, de *Regular.*, cap. VIII, ubi vult, ut superiores regulares frequenter visitent.

277. *Probatur ab exemplo episcoporum.* — Probatur secundo. Superiores majores regulares in facultate visitandi respectivè comparantur episcopis, et archiepiscopis, ita ut quoties isti suas dioceses, aut alia monasteria, sibi subjecta visitare possunt, possint etiam isti; atqui episcopi singulis annis non tantum semel, aut bis, sed etiam toties, quoties eis expediens videbitur, visitare possunt. Major est communis doctorum. Minorclare probatur ex c. *Perpetuo* 5, de *Censib.*, in 6, c. *Mandamus* 6; de *Offic. archid.*, item can. *Visitandi*, 28, cau. 18, q. 2, ibi: « Visitandi, exhortanturque gratia ad monasterium, quoties placuerit, ab antistite civitatis accedatur. » Item can. *Non semel*, 29, eod. cau. 18, q. ibi: « Non semel, sed sæpius in anno episcopi visitent monasteria monachorum, etsi quid corrigendum fuerit, corrigatur. » Accedit Glossa in can. *Episcopum*, 11, cau. 10, q. 1, ubi expresse tenet: « Quandounque, et quotiescunque opus est, potest episcopus visitare; » ergo id respectu suarum provinciarum, aut monasteriorum etiam poterunt superiores regulares; nam consequentia est in forma.

278. *Et pro ordine nostro ex bulla Gregorii XIII.* — Probatur tertio, et quidem in specie de ordine nostro: ubi imprimis de provincialibus non est difficultas; nam hoc ipso, quod statuta generalia id mandent, ut in anno bis, aut semel saltem universam provinciam visitare teneantur, consequens

est, quod sæpius possint. Neque est in hoc controversia aliqua.

279. Probatur itaque in specie de superioribus generalibus ex bulla Gregorii XIII. *Quoniam nostro*, quæ est 27 inter constitutiones dicti pontificis in *Bullar. Cherub.*, ubi § 5. Ita statuitur: Volentes eundem ministrum generalem, quotiescunque sibi expedire videbitur, quos voluerit commissarios, ad quasque sui ordinis, utriusque familie provincias, quibuscunque consuetudinibus, et statutis, per quaslibet personas in contrarium factis, non obstantibus, libere mittere posse. » Vi ejusdem bullæ excommunicationem ipso facto incurrunt, et ab ea extra mortis articulum per neminem, quam romanum pontificem absolvi possunt, privanturque officiis, et inhabiles fiunt in futurum, qui quocunque prætextu, aut colore contra tales commissarios ad tribunalia sæcularia recurrunt, vel recurrentibus favorem, aut consilium præbent. Item illi qui a dictis commissariis recte ordinata, aut facta, mutare, alterare, aut pervertere præsumunt sine expressa ministri generalis licentia.

280. Et hæc facultas a Gregorio XIII ministro generali concessa, sine dubio ad commissarium generalem ordinarium extenditur, qui hic eadem auctoritate et potestate, ac favoribus, præsertim in puncto visitationis quoad subditos suæ familie gaudent, quo gaudet generalis, juxta statuta generalia, cap. VIII, § 28. Et per consequens etiam vice commissarius generalis, utpote qui in vice commissarii generalis pleno jure succedit per eadem statuta, accedente etiam regula juris in 6, « vi cujus favores convenit ampliari. »

281. *Probatur ratione.* — Ratio autem, et convenientia conclusionis, num. 276, posita, est; quia sæpe contingit, quod etiam extra tempus ordinarium, visitatio in provincia, vel conventu summe utilis, aut necessaria sit; dum v. g. alicubi ex factionum divisione, aut alia causa suscitatur periculosa discordiæ, quæ nisi cito per extraordinariam visitationem tollantur, gravia incurrantur mala: vel dum in aliqua provincia irrepunt mali abusus, et corruptelæ, aut alii excessus et defectus contra observantiam, et disciplinam regularem talibus cum circumstantiis, ut nisi extra tempus commissarius visitator a superiori generali mature mittatur, disciplina et observantia regularis, spiritus et devotio graviter non solum patia-

ant, sed malum ita invalescat, ut difficile amplius eradicari valeat, corruptelis et abusibus concessive sub facie consuetudinis incedentibus. Vel dum experientia docet, quod provincia aliqua suis abusibus, vel excessibus ita inhæreat, ut ab eis, non diutius, quam commissarius visitator præsens adest, desistat, illo autem discedente iterum reassumat, ac per reliquum triennii tempus continet, magisque firmet, et novissima pejora prioribus efficiat; nisi etiam tempore aliquo extraordinarium visitatorem jugiter, et tandiu sibi invigilantem habeat, donec spes constantis emendationis appareat. Et certe si in hujusmodi casibus manus superioribus generalibus essent ligatæ, profecto non satis provisam esset religionibus.

282. *Satisfit objectionibus.* — Nec obstant canones n. 247, citati, præscribentes, ut semel, vel bis in anno visitatio fiat. Resp. enim, per illos canones tantum haberi, quod saltem semel, vel bis debeat fieri, ita ut superior præcepto ordinariè satisfaciatur, si semel, vel bis visitet, non autem quod sæpius visitare nequeat, si circumstantiæ exigunt.

283. Neque obstat consuetudo in contrarium. Respondetur enim, visitare per se, vel per alium toties, quoties expediens visum fuerit, esse potestatis facultatisve gratuitæ, contra quam non datur præscriptio contrariæ consuetudinis, juxta dicta lib. II, tit. XXVI, de *Præscript.*, n. 38.

284. *Respondetur ad statutum nostrum generale.* — Denique non obstat statutum generale, cap. VIII, § 46. Respondetur enim illud (præterquam quod teste Ludovico de Ameno, loc. cit. numer. 107, statutum istud sit adulteratum) non contra, sed pro conclusione militare, prout patet ex contextu statuti, et statuto immediate præced. num. ubi sit statuitur: « Visitatores N. B. regulariter mittendi sunt, quando provincialis electio celebranda est, » finito nempe triennio ipsius hoc ipso enim quod dicatur regulariter, implicite conceditur, quod causa exigente, extraordinarie quoque fieri valeat: uti expressa etiam innuitur ipso statuto sequenti num. 5, ibi: « Missus a generali pro arguo negotio, vel ad provinciæ postulationem, sed etiam pro solo generalis arbitrio mitti valeat commissarius extraordinarius: dicitur enim « vel pro ardua causa, vel negotio, » quod utique etiam est, si observantia et disciplina totius provinciæ patitur, nisi extraordinario tempore commissarius

eidem deputetur. Plura vide apud Ludovicum de Ameno, loc. cit.

285. *Visitatio ordinaria regularium licet generalis, et paterna sit.* — Quæritur II. Qualis inquisitio sit visitatio ordinaria regularium? quomodo superior visitans in ea procedere? quomodo item, et de quibus interrogare seu inquirere possit, aut debeat? Et quæ requirantur ad hanc visitationem ordinariam? Resp. I. Regularium visitatio ordinaria est inquisitio generalis paterna; vi cujus prout superior non ut iudex, sed ut pater procedere potest, ac debet, Ludovicus de Ameno in *Pract. criminal.*, tit. XI; *Inquisitio.*, § 1, num. 6 et 8, conclusionem praxi omnium regularium confirmans, arg. *concil. Trident.*, sess. 23 de *Regul.*, cap. VIII, et c. *Romana de Censib.* in 6. Ratio est, quia hæc visitatio non ad vindictam publicam, sed ad correctionem, et emendationem delinquentium per secretas monitiones, salutare ordinationes, et medicinales pœnitentias obtinenda, indeque ad reformationem principaliter tendit, per jura citata. Nam etsi visitator ordinarius occasione visitationis ordinariæ aliquos delinquentes subinde etiam publice coram aliis fratribus puniat, id non vindicative et judicialiter, sed per pœnam medicinalem paterne facit: consequenter talis visitatio non judicialis, sed paterna inquisitio est, juxta dicta § 3, n. 154, et quidem generalis; cum vi illius visitator de omnibus delictis, et delinquentibus in genere inquireat, quod utique inquisitionem generalem sapit per dicta § 3, num. 151.

286. *Tamen in eadem visitatores possunt inquirere de superioribus in specie: et quomodo? Superiorum transgressiones pejores et majori pœna sunt dignæ, quam subditorum.* — Resp. II. Non obstante, quod regularium visitatio ordinaria sit inquisitio generalis de cunctis delictis, et delinquentibus in genere indagans, v. g. an regula et statuta a fratribus serventur, vel violentur? an divinum officium rite celebretur, an fratres exemplariter, vel scandalose vivant? an corruptelæ vel abusus vigeant, etc., potest nihilominus saltem in nostro ordine visitator generalis de provinciali, et superioribus in specie inquirere, quomodo in officio, et in regimine suo se habuerint, qualem vitam, quosque mores exhibuerint, etc. Ita clare habetur in statutis nostris, cap. VIII, § 57, ubi ad finem eorum, de quibus fratres visitator interrogare debet, statuitur, ut in

specie interroget, «an guardianus in obeundo suo munere prudenter, fideliter, ac diligenter se habeat? An vitæ exemplo, et doctrinæ opportunitate omnes ædificet?» Et infra: «De provincialis etiam et sociorum ejus officio, moribus ac vita diligenter inquirat, ut pro sua prudentia, et religione expedire judicaverit.» Item ordinatur in *Praxi nostra criminali*, tit. XI, §. *Inquisitio*, § 2, ubi, postquam prohibitum est, ne in inquisitione generali inquiratur de personis in specie, apponitur limitatio illis verbis: «Ab hac tamen restrictione provinciales excluduntur, ad quos syndicanos destinantur visitatores; unde illis integrum erit, de provincialium regimine in genere, et in specie inquirere nominatim; etiam nulla infamia præcedente (non tamen ad illorum vitam, et mores descendendo) quod etiam de guardianis fieri debet.»

Ratio jam insinuata est; videlicet, quia ad syndicanos superiores visitatio specialiter etiam ordinatur; eo, quod superiorum delicta, et transgressiones longe plus nocivæ, utpote subditis plurimum scandalosæ sint, consequenter strictiori inquisitione, reprehensione, et punitione dignæ, cau. *Præcipue*, 3, cau. 11, q. 3, ibi: «Deterius quippe in populis prælati delinquant, ac per hoc ipsi crudelius quam cæteri puniuntur, ut ait beatus Gregorius: scire etenim prælati debent; quia, si perversa unquam perpetrant, tot moribus digni sint, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt: unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur.»

287. *Ex causa rationabili potest visitator in visitatione ordinaria etiam de subditis in specie inquirere.* — Resp. III. In visitatione ordinaria potest visitator ex causa rationabili, puta, ad cognoscendum, an promoveri possit, aut debeat: vel an suos jam notorios malos mores, aut certum vitium emendaverit; vel an delictum, de quo suspectus est, commiserit? Etiam in specie de subditis generatim inquirere, §. g., quomodo hic vel ille se gerat, qualem vitam, aut mores habeat, etc. Ludovicus de Ameno, in *Pract. criminali*, tit. XI, *Inquisitio*, n. 12. Ratio est; quia cum visitatio ordinaria sit inquisitio paterna, non vindicta, sed solam emendationem, et bonum delinquentis respiciens, juxta dicta n. 283, nulla fit injuria; nec præjudicium, etsi de illo in specie, aut de vita illius paterne inquiratur visitator.

288. *Solvitur instantia.* — Nec dicas, quod tali modo invertatur natura visitationis ordinariæ, dum in ea, quæ ex natura sua est inquisitio generalis, instituitur visitator inquisitionem specialem. Resp. enim, ipsam visitationem tamen esse, et manere inquisitionem generalem, hoc ipso, quod principaliter, et a potiori in ea non nisi generice procedatur, et per accidens sit, quod de uno vel altero ex causa specificè inquiratur visitator, præsertim cum non judicialiter, et ad vindictam, sed paterne, ad correctionem, et bonum delinquentis id faciat, ut jam dictum.

289. *Etiam in ordine nostro id fieri potest.* — Et hoc etiam in ordine nostro Seraphico procedit, non obstante, quod in *Praxi criminali*, tit. XI, §. *Inquisitio*, § II, prohibeatur, «ne de speciali persona, vel delicto occulto in inquisitione generali perquiratur.» Respondetur enim: ibidem esse sermonem de inquisitione generali judiciali, non de paterna, qualis est visitatio ordinaria, ut bene ibidem, n. 12, advertit Ludov. de Ameno, conquerens, quod in dicto tit. XI, §. *Inquisitio*, judicialis, et paterna inquisitio sæpe confundatur, et ita commisceantur, ut non statim appareat, de qua sit sermo; consequenter facile error contingere possit in intellectu legentis.

290. *Ex causa rationabili.* — Dicitur tamen notanter in conclusione, n. 287, posita, ex causa rationabili: quia sine hac, in visitatione ordinaria seu paterna de subditis in specie inquirere non debet, ne videatur ex inordinato affectu, vel passione procedere, et cum visitatione ordinaria, tanquam inquisitione generali paterna inquisitionem specialem judicialem cumulare, aut intendere cum injuria legis, et delinquentis.

291. *De quibus interrogare et indagare debeat visitator.* — Cæterum de quibus in genere visitator in visitatione ordinaria seu paterna inquirere seu indagare, et subditos interrogare debeat, videantur cujuslibet ordinis statuta; et quidem nostra cap. VIII, § 57, ubi cuncta etiam interrogatoria subditis ordinariè proponenda ad longum habentur, ex eisque, sicut etiam ex aliis colligitur, visitationem ordinariam non esse generalissimam, sed generalem, et aliquo modo mixtam inquisitionem juxta dicta § III, n. 153, cum in ea inquiratur de certis delictis et transgressionibus in specie, et de delinquentibus in genere, v. g., an nullus violet paupertatem? an non fiant inordinatæ

potationes? etc., ubi etiam notandum libere esse visitatori præter interrogatoria ibidem specificata, plura alia de transgressionibus in specie, et de personis in genere facere, prout nempe expediens judicaverit; quia specificata ibidem tantum pro exemplo adducuntur.

292. *In visitatione sub obedientia præcipitur, ut subditi fideliter manifestent visitatori, quæ manifestare oportet.* — Resp. IV. Quamvis in visitatione ordinaria non requiratur, ut visitator illis, quos interrogat, imponat juramentum de dicenda veritate; hoc ipso, quod non sit judicialis, consuetudo tamen, et statuta religionum volunt, ut subditis per sanctam obedientiam præcipiat, ne aliquid retineant, sed cuncta visitatori fideliter revelent, quæ ad tollendos abusos, vel scandala, et pro conservanda vel restauranda observantia, ac disciplina regulari dicenda sunt: ita statuta nostra, etc.

293. *In visitatione ordinaria non adhibetur secretarius.* — Resp. V. Dum in visitatione ordinaria subditos interrogat, et audit visitator, nullus requiritur, nec adesse posset secretarius, vel notarius, sed visitator solus, nemine præsentè dicta subditorum excipere, et ea saltem, quæ graviora videntur, scribere ac notare debet. Ludovicus de Ameno, loc. cit., § 4, n. 25, cum aliis. Ratio est; quia cum hæc visitatio sit paterna, solam emendationem, et correctionem paternam (ad quam nulla requiritur probatio juridica, et contra quam nulla appellatio datur, juxta dicenda infra) intendens, nullum secretarium, vel notarium exigit, imo nec admittit; quia cum in illa, etiam occulta delicta pandantur, minori, qua potest, famæ jactura fieri debet, ac propterea subinde etiam delicta non nisi ab ipso visitatore in secreto moneri, et corrigi debent, juxta dicenda infra n. 303. Secus est in inquisitione generali judiciali; utpote in qua ad faciendam fidem actis, notarius juratus interesse debet.

294. *Sed debet ipse visitator excipere, et notare dicta.* — Quod autem saltem ipse visitator graviora notare, et scribere debeat, ratio est, ut ex ipsis dein colligere valeat, quid paterne corrigendum et reformandum, vel quid statuendum et ordinandum sit: item an, et quando contra unum vel alterum, specialem inquisitionem instituere possit vel debeat, prout revera subinde potest, et debet, juxta dicenda infra a n. 304. Totam hanc conclusionem innuit etiam specialiter

nostra practica criminalis, loc. cit., § 4.

295. *In visitatione ordinaria tenentur subditi manifestare visitatori non tantum delicta, et defectus in damnum communitatis, vel tertii vergentia.* — Quæritur III. Quenam delicta, crimina, defectus, aut excessus subditi in visitatione ordinaria visitatori manifestari possint, vel debeant? Resp. I. Non tantum possunt, sed tenentur subditi in visitatione ordinaria superiori visitanti manifestare, et saltem paterne denunciare omnia delicta, excessus, defectus, transgressiones et abusus fratrum, conventus, aut provinciæ, tam occultos, quam publicos, qui in damnum observantiæ, et disciplinæ regularis, aut in præjudicium communitatis, vel tertii privati cedunt. Hæc conclusio caret controversa, si cum teste Sanchez, lib. VI, *Moral.*, cap. XVIII, n. 50, eam teneant omnes, patetque ex dictis supra § 2, a n. 106, ubi probavimus, quod quivis hujusmodi etiam occulta delicta teneatur denunciare extra visitationem, aut inquisitionem; ergo multo magis in illa, utpote in qua speciale etiam accedit obedientiæ præceptum subditos ad manifestandum, seu paterne saltem denunciandum obligans, juxta dicta num. 293.

296. *Sed etiam defectus et peccata soli delinquenti nociva, et penitus occulta.* — Resp. II. Subditi non tantum possunt, sed tenentur etiam omnia illa crimina, peccata, vel delicta, quæ in solius delinquentis damnum vergunt, superiori visitanti paterne manifestare, etiamsi omnino occulta sint, et nullatenus probari valeant, dummodo sciatur extra sigillum confessionis, et secretum naturale. Hæc conclusio rursus patet ex dictis § 2, a n. 179, ubi probavimus, ad id teneri quemvis extra visitationem; ergo a fortiori in illa, ob accedens obedientiæ præceptum. Docent hanc conclusionem præter citatos § 2, num. 179, etiam Ludovicus de Ameno, in *Pract. criminali*, tit. XI, §. *Inquisitio*, n. 5; Lezana, tom. I, cap. XXVII, n. 2, circa medium, citans Suarez, tom. IV, *de Relig.*, lib. X, *de Regim. Societ.*, cap. XI, n. 4; Angelus, §. *Denuntiatio*, n. 10; Pelliz., in *Manual. Regul.*, p. 1, tr. IX, cap. IV, sect. 1, n. 24; Palao, *de Charit.*, tit. VI, disp. 3, punc. 10, n. 13; Sylvester, §. *Denuntiatio*, q. 4, citans D. Thomam, et communem; quamvis enim horum aliqui expresse non doceant, quod teneantur, sed tantum, quod possint peccata etiam occulta, nulli quam peccanti nociva, denunciare superiori ut pa-